Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2819
Quelle:
Copyright:

episcopum nomine Rugerum (Rudigerum de Radeck) *instituit*. Quae in hac narratione male cohaerent, Scriptoris incuriae debentur, qui prima erigendi Episcopatus consilia a. 1215. agitari coepta cum perfecta ejus Erectione a. 1217. exeunti adfigenda confudit. Ita pariter lapsi sunt illi, qui *Innocentio* III. a. 1216. 16. vel 17. *Julii* defuncto vitam ad an. 1218. imo 1220. prorogavere. Porro, qui sequitur, XXII. Episcoporum *Catalogus*, Chronologiae nihil habet, aliqua tamen fortasse subpeditat ad eum perficiendum, qui *Hundii* T. II. *Metrop. Salisb.* edit. *Ratisb.* 1719. p. 162. f. legitur. *Fridericus Fronawer* ibi *Fronbower*, *Albertus Vanstorffer* ibi *Fronstorffer*, *Ludovicus Rädelkofer* ibi *Kattlckover*, *Egkhardus de Perneck* ibi *Eberhardus*, *Engelmarus Krül* ibi *Enelmarus* dicitur, et *Silvestri* cognomen *Flieger* omissum est. At vero in Nostro desideratur *Ortolfus Talhaimer*, et *Engelmarum Johannes*, *Fridericus*que excipiunt, cum apud *Hundium Fridericus* praecedat, *Engelmarus* et *Johannes* sequantur. In *Cat. P. Richardi T. II. Diction. Univ. Ecclesiast. Gerhobus de Waldek Gebhardus* audit et in *Univers. Lexico* T. V. in *Gerthoum* deformatus est.

V. *fol.* 161. *De decem Preceptis*. Re ipsa Tractatus duo: *De Dilectione Dei et Proximi*, et *De Praeceptis Decalogi M. Nicolai de Dinkelspühl* jam alias indicati, imo typis proditi cum aliis Ejus Opusculis *Argentinae* 1516. f. verum hic uterque a fine truncus. Illud tamen observandum, praemitti hic prolixam satis Introductionem, cujus thema: *Si vis vitam ingredi, serua mandata. Matth. 19.* quaeque incipit: *Verba sunt domini saluatoris que docent nos viam meriti salutaris, Circa que tria consideranda occurrunt* &c. et in Edit. *supracit.* non reperitur.

VI. *fol.* 233. *Passio christi*. Exposita videlicet secundum IV. Evangelistas. Exempla duo continenter in *Codice* scripta, quorum secundum *fol.* 248. paullo uberius, quod et Autoris nomen ad calcem exprimit, qui est *Albertus Patavinus* vir celeber ex Eremitis *Augustinianis*. Vixit is in Sec. XIII. et XIV. confinio, ut habes in *Ossingeri Bibl. August.* p. 668. ubi ejus Acta et Scripta recitantur. Inter haec *Sermones Quadragesimales* sunt, quorum utor edit. *Veneta* 1584. 8. Atque hos inter T. II. *fol.* 280. comparet noster, sive *Sermo passionis D. N. I. C. in Parasceve et in ordine 261.* cujus initium: *Egressus est Jesus cum discipulis* &c. *Alijs quidem diebus alia sed hodie non iudicaui me aliquid scire inter vos nisi Christum ihesum et hunc crucifixum* &c. ubi Exemplum nostrum secundum prave: *Alijs quidem dies illa.* In Impressis porro *Sermo* totus in XVI. *Partes Passionis* divisus est, quarum I. et II. in primo nostro Exemplo deest. Secundum saltem in *Germania* descriptum fuisse patet ex verbis: *alz eyn trub dy an dy seyten ist geleget*